

DE PHLEGMATIA
DOLENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

TENTAMINI AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

OBTINEAT,


SUBJECIT AUCTOR

GUSTAVUS SELLHEIM,

ADMINISTRATIONIS MEDICAE PLESCOVIENSIS PROVINCIARUM
MEDICUS OBSTETRICIUS,

DORPATI LIVONORUM

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXVI.



Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censu-
ra librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. die xi. Febr. MDCCLXXVI.

Dr. M. E. S t y x,
h. t. Decanus.

Quo obscurior morbus, eo majus cognitionis
desiderium excitat; quo vero atrocior, eo effica-
cius medici auxilium aegroti experunt; morbus
denique pertinacissime omnium remediorum co-
plae repugnans, ardentissimum medicorum stu-
dium, ad methodum efficacem inveniendam, in-
cendat necesse est. Vix morbi formam invenies
quae majori in gradu hisce tribus rationibus gau-
deret, quam phlegmatia dolens. Exceptis sym-
ptomatibus nonnullis nil fere de ea scimus; acer-
bissimis malis adnumeranda est; eidem medendi
methodus denique, quod sane dolendum, tam
manca est, ut medicus otiosum spectatorem sese
praebere soleat, etiamsi speciem seduli prae se
ferat. Rarissimi hujus morbi casum observare
mihi contigit, multum a solito recedentem, quo

magis impulsus sum ad satisfaciendum provocationi (a), hujusce morbi casus publici juris facere.

Me tantum praebere non posse, quantum optaverim, graviter doleo. Aegrotam enim meam ultimo morbo demum cognoscebam, quare multa, quae ad rem facerent, non possum nisi imperfectius communicare. Deinde mortuae sectio denegabatur, quae multum in lucem protraxisset, quod nunc conjectura tantummodo adsequi audeo. Si denique minus accurate, quam iudex severior expostularet, aliorum sententias et observationes allaturus sim; tamen benevolus lector me excusabit spero, quum tam parum subsidiorum praesto mihi essent.

Ceterum non possum, quin afferrem, plures medicos, ad consilium vocatos, una mecum morbum tractasse.

(a) Vid. Hufel, Journal 1817, II. Stück, p. 174. Albers.

Aegra, quam phlegmatia dolente laborantem tractabam, nobili loco nata, quindecim annos in matrimonio vixerat, et anno aetatis tricesimo superato moriebatur. Petropoli nascebatur et educabatur; qualis vero educatio praecipue physica fuisset, comperire mihi non licebat. Primis aetatis temporibus nullo graviore infestabatur morbo; facile vero inducor, ut eam morbo scrophuloso laborasse credam, cum totus habitus non solum hoc indicaret, sed etiam fratres sororesque ejus etiam nunc hoc morbo laborent. Hisce quindecim matrimonii annis novies gravida facta quater abortum patiebatur, et quemque abortum morbi diuturni subsequiebantur, ex quorum copia tantum hydropis uteri (ut ex aegrae ipsius relationibus patebat) mentionem faciam, qui quemque abortum excipiebat. Ansam abortuum terror praebere solebat (praecipue vero pri-

mi abortus). Praeterea menstruorum retentionibus saepissime vexabatur, quae haemorrhagiis gravibus solvi solebant. Haemorrhagia una talis, etsi interrupta, per totum fere annum producebatur. Cum hisce malis hysteriā se consociabat, quae sensim sensimque aucta absque dubio plurima ad morbi postremi exitum tam funestum contributebat. Manifestabat se vero hysteria magno nervorum et animae erethismo. Animus semper in moestis cogitationibus versabatur et levissimis quibusque rebus vehementissime commovebatur; hisce accedebant vehementiores sanguinis aestus et animi angores. Conquerebatur de perpetuo pressionis sensu in regione stomachi, qui paroxysmorum tempore praecipue sub forma globi hystericici in pectus adscendebat. Etiam alvi faeces non rite excernebantur, nam alvus modo fusior, saepius vero per longius tempus obstructa; cumque ob morbum graviolem diutius lecto teneretur, alvus tantum clysmatum ope solvebatur, quin per totos menses. Haecce series phaenomenorum hystericorum tempore postremo magis magisque incresebat, durante graviditate ultima animus indies tristior fiebat, mortem saepius cogitabat

et morbo postremo laborans omni momento mortem exspectabat; suis hocce tempore saepius tristissimis verbis valedicebat, quod vero vim nocentem in multos dies sequentes exerebat. Haemorrhoidibus laborabat morbo hereditario (nam uterque parens hoc malo etiam laboraverat). Haemorrhoides coeci erant, cum pruritu ani mordaci. Partuum tempore molestissimae erant. Diebus postremis valde acrecebant et bullarum instar tument.

Non ita multo post primum abortum iterum gravida facta omnem adhibuit vigilantiam, ut iteratum averteret abortum. Peperit tertio matrimonii anno, mensem unum ante tempus justum postquam secundum medici praescriptum omne fere graviditatis tempus sedendo expleverat in lecto. Acerbis doloribus enixum puerum placenta non sequebatur; fortiter utero adhaerentem medicus secundo tertiove die solvere propter gravem haemorrhagiam cogebatur; in ipsa operatione tanta sanguinis copia profluxit, ut vita in discrimine versaretur. Aliquot diebus interjectis extremas sinistra inferior morbo aliquo corripī coepit, de quo parum certi comperire poteram: do-

lorem tumoremque aequè sese habuisse, ac nunc, aegra edixit; trium mensium tempore expleto demum lectum relinquere potuisse. Plane ut videtur phlegmatia dolens erat. — Paenultimo puerperio cubans, partu maturo edito, extremitas eadem dolere et tumere iterum incipiebat; tumor vero ex pede tantum ad genu adscendebat; nam illico morbo nascente adhibebatur unguentum Neapolitanum cum unguento de Althea, cum fomentis tepidis siccis, et tribus hebdomadibus praeterlapsis nil de morbo supererat. Nec morbus primus nec secundus malum secundarium ullum relinquebat.

Superiori anno ultima vice concipiebat et partum sub finem mensis Octobris exspectabat. Per totam graviditatem vitam plus iusto sedentariam degebat, postque medium graviditatis tempus doloribus spasmodicis vehementibus regionis hypochondriacae dextrae, qui saepius animi deliquia provocabant, nec non convulsionibus obstructionibusque vexabatur. Praeterea animus tristior, ac antea, persuasione certa agitabatur, huiusce puerperii superstitem se futuram non esse. Sed jam die 29. m. Aug. partum edebat et quidem

satis facile, tempore quinque horarum (ab hora nostra tertia pomeridiana usque ad octavam). Puer, magnitudine mediocri, absque manuum instrumentorumque ulla ope, positione prima, in lecto nascebatur. Parum tantum sanguinis subsequabatur. Ego, dimidio horae spatio post, januam intrabam puerperam laboribus partus exhaustam inveniens, syncope syncopen sequebatur, tormina post partum spastica vehementiora sine ulla fere remissione saeviebant; secundinae nondum expulsae erant. Praescribebam antispastica ad usum internum et externum et paucis horis praeterlapsis vehementissimorum phaenomenorum furor subsidebat. Placenta vero adhuc utero adhaerebat; obstetrix caute attrahendo impedimentum percipiebat et manus abdomen tangens motum sentiebat. Experimenta interdicens puerperam in lecto calefacto sicco locabam, ad refrigerium vitandum. Paucis horis post, somno leni consopitam, obstetricis curae mandabam.

Postridie mane (30. Aug.), exceptis doloribus, quales semper 5 — 6 dies post partem perdurare solebant, satis bene sese habebat; pulsus paulo irritatus, attamen nec durior nec frequen-

tior; abdomen satis molle, uterus sese jam contraxerat et super ossibus pubis placenta pervestigari poterat. Obstetrix explorans placentam, ut heri, sitam invenit, unam nempe extremitatem in vaginam propulsam, alteram vero adhuc fortiter utero adhaerentem, ita ut quaque attractione impedimentum perciperet; puerpera vero ad locum nominatum dolorem sentiebat. Quum nulla spastica uteri contractio locum haberet, insuper nullus sanguis proflueret, solutionem placentae artificialem suscipiendam non statuebam, praesertim cum mulier ante annos 15 soluta placenta tantam sanguinis copiam fuderit, ut mortis vicina facta sit. Lochia bene fluebant, neque copia aucta, nec justa minori. Per diem infusum Chamomillarum tenui bibebat et satis bene sese habebat. Dies insequens (d. 31. Aug.) elabebatur, nulla mutatione superveniente; secundinae locum nondum mutaverant. Etiam die 1. Sept. valetudine immutata fruebatur; nulla haemorrhagia, abdomen absque tensione et, sub manu premente, dolore non afficiebatur. Nunc ipse explorationem suscipiebam, quod puerpera ob placentae longiore retentionem trepidare et angere coeperat. Et

ego extremitatem alteram placentae in superiore vaginae sitam, alteram vero utero fortiter adhaerentem inveniebam. Magna genitalium sensibilitas impediens, quominus manum inducerem ad locum adhaerentem satis caute riteque solvendum; quae indicatio etiam minus urgebat, quum locus adhaerens minoris esset superficiei et mox spontanea solutio expectanda. Quare tantum jam soluti amovebam, quantum manu commodo attingere poteram, tertiam nimirum totius placentae partem. Nulla ciebatur haemorrhagia — at magna genitalium sensibilitas operae finem faciebat. Quo facto injectionem infusi Chamomillarum instituendam unguentumque antispasticum abdomini infricandum curabam. Puerpera magno erethismo affecta multum jactabatur, parcissimi erat somni et levissimis rebus angebatur. Praescribebam propterea emulsionem seminum Papaveris albi cum aqua Cerasorum nigrorum, extracto Hyoscyami et tinctura Valerianae aetherea. Ad vesperam febricula mitior intrabat, vix perspicua; levi brevique horripilatione incipiebat, sequebatur cutis temperatura parum aucta cum dolore levi capitis, et sudor parvus febris finem impone-

bat. Pro febre lactea haberi non poterat, quae nimirum quarto quintove die intrare solita erat. Febrem motam esse credo a sensibilitate genitalium ceteroquin nimis aucta, quae explorationibus saepius institutis altius evehebatur; forte etiam refrigerium, in partu vix evitandum, momentum causale praebat. — D. 2. Sept. (quarto post partum) particulae majores placentae excernebantur, quae jam recentem colorem non monstrabant; etiam effluvium saniosum erat. Quocirca Cicutam Chamomillis ad injiciendum addebam. Mammae lac secernebant, dolentesque intumescebant; quas lana arborea sicca obtegebam. Ad vesperam primum clysterium immittebatur, nec frustra. Febris nulla aderat. — Appetitus hisce diebus valde mediocris fuerat; parum tantum jusculi carnis gallinacei ederat. — D. 3. et 4. Sept. multum placentae adhuc excernebatur; effluvium saniosum pessime olebat; etiam particulae majores velamentorum expellebantur, ita ut parum secundinarum adhuc restare poterat. Uterus jam aliquanto sese contraxerat, dolores post partum fere omnino evanuerant; aegra satis hilari erat animo — at magna receptivitas semper praedo-

minabatur, ita ut quodque levissimum paroxysmos hystericos, per integras horas durantes, provocaret. In mammis dolores pungentes erant et jam plus lactis secernebatur; cujus vero parum tamen exspectari poterat, quia nunquam ipsa infantibus mammas praebuerat (quas ceterum minimas habebat). Magnum dolorem gingivarum abscessus excitabat, qui ante partum incipiens nunc maturescebat. — Die 5. Sept. portio ultima placentae solvebatur, quae locum adhaesionis recens solutum satis conspicuum monstrabat, magnitudine uncialis argentei rossici. Injectiones continuabantur. Aegra sic satis sese habebat, attamen valde sensibilis et infirma erat; necdum appetitus augebatur, Vini usum aegrota omnino recusabat. Pulsus pulvae apyreticus; sexaginta circiter ictus reddens, sed irritatior (quod vero constitutionis erat). D. 6. Sept. nil placentae expellebatur, sed velamentorum frustula minora; omnesque secundinae jam excretae videbantur; etiam effluvii odor melior. — D. 7. Sept. hora matutina decima repentinus graviterque concutiens horror superveniebat, duarum horarum spatium perdurans; aectus vehementior subseque-

batur et sudor paroxysmo finem faciebat. Durante aestu pulsus centies decies centies vicies micabat; — attamen febris status mere incompletus, — nulla affectio localis conspicua, nulla alibi functio turbabatur, neque lochiorum fluxus impediabatur, nec lactis copia imminuebatur. Praescribebam infusum tenuius Valerianae cum spiritu Mindereri; sub vesperam clysterium immittendum curabam. — D. 8. Sept. febris repetebat, horas nonnullas anteprensens, minori que vi incedens, et jam ad meridiem lintha mutari poterant. At jam hora quarta pomeridiana revertabatur paroxysmus et usque ad vesperam continuabatur. Aegra valde exhaurebatur, praesertim cum per totam diem nil ederat. Ceterum post febrim satis bene sese habebat; dolores capitis jam durantibus sudoribus evanuerant; lochia rite excernebantur. Ultimo febris paroxysmo gingivae abscessus rumpebatur, pus sanguine mixtum in os mittendo. Medicamentum continuabatur. Postquam noctem satis quiete dormiendo consumserat, tempore matutina d. 9. Sept. novo febris paroxysmo corripiebatur, leniori at longiori, ita ut ad vesperam demum fe-

bris plane evanuerit. Post huncce quartum paroxysmum minores velamentorum laciniae expellebantur, dum per aliquos dies praeter lochia nil evacuetur. Febrem absque dubio ciebant haec velamentorum frustula, ut remanentia solent. — D. 10. Sept. nulla febris redibat; explorans obstetrix os uteri parum admodum apertum inveniebat, profluvium normam recuperans et minori in copia. Etiam parum adhuc lactis profuebat, mammaram sensibilitas jam imminuta erat; fomenta lanae arboreae cum sacchariusti fumo impletae, continuabantur. Vires exhaustae erant, systema nervorum semper receptivitate nimia laborabat, et exceptis aliis hystericis malis interdum repente angores enecantes superveniebant. Tinctura Valeriana aetherea hocce incommodum aliquanto mitigabat. Infusum continuabatur. — D. 11. Sept. ita sese habebat, ac pridie. Alvus non purgabatur nisi clysteriorum ope, uti semper fieri solebat, si aegra diutius lecto tenebatur. Alvum elicentia medicamina vix perferebantur, nam et minima medicaminis stimulantioris dosis cardialgiam et angores movebat, frustra que aegram horatus sis sumere. Die modo nominato periculum

faciebam infusi Ratanhiae et Valerianae cum spiritu Mindereri et Naphtha. Accedebat tonicum abdomini infricandum, spiritus Angelicae compositus cum balsamo Peruviano nigro. Nunc etiam tumores haemorrhoidales molestiores fiebant; mixtio ex aqua Amygdalarum amararum concentrata cum aqua Calcis vivae ex parte levamen afferebat. — Die 12. Sept. (decimo quarto post partum) quietior aegra erat; pulsus minus irritatus; medicamentum cardialgiam non excitaverat et continuabatur. Propter angores enecantes necdum subsidentes et infirmum stomachum pulveres sequentes, per diem aliquoties sumendos, praescribebam:

R. Radic. Ipecacuanhae gr. $\frac{3}{4}$,

— Zingiberis gr. iv,

Succolatae medicae c. saccharo gr. x.

M. f. p. dispens. tales doses.

Vini nondum stomachus patiens erat. Hisce usque ad 17. Sept. continuabatur; valetudo revera in melius mutabatur, exceptis quibusdam hystericis paroxysmis; qui et magna receptivitate et rebus externis contrahebantur. Lac jam fluere cessaverat, mammaeque in statum pristinum re-

versae linteis tepidis tegebantur. Lochia rite exercebantur, at jam minore in quantitate, jamque pallidum induerant colorem.

Die 17. Sept. (die 19. post partum) primum e lecto surgens in conclavi finitimo diem in sella decubitoria (Divan) degebat. Longius tempus vestes induendo cutemque lavando absumserat; quodque audiens illico timebam, ne frigore laederetur. Sub vesperam lecto reportari debebat, nam dolores vehementissimi totam extremitatem inferiorem sinistram occupaverant. Simili modo quindecim annis ante extremitas eadem aegrotare inceperat, nec non in puerperio paenultimo. Cum quiete lecto cubaret, dolores paululum imminuebantur magisque versus plantam et suram tendebant; tota extremitas gravitatis sensu premebatur nec facile movebatur. In universum valetudo non turbabatur, pulsus ferè apyreticus paulo tamen irritatior; lochia rite fluebant. Spiritus Mindereri augebatur, et in abdomine inungendo pergebatur. Nocte sudor apparebat, absque levamine mali. Die sequente aegra denuo lecto surgens, mox recumbere cogebatur. Dolores modo omnem extremitatem usque ad pelym occupabant, increcebant

et lacerantes, urentes pungentesque fiebant, rheumaticorum simillimi; sensus gravitatis et plenitatis cum immobilitate augebatur; quique motus tactusque dolores vehementissimos concitabat. Nocte sudor multus movebatur. Die tertio tumor animadvertēbatur; aequabiliter per totam extremitatem effusus a digitis usque ad abdomen, in veneris monte et pudendi labio sinistro acutissime contra latus alterum terminatus, cyanidus versus abdomen, protuberantior in femoris latere interno, colore cretaceo, tactu durus, digito prementi foveam non relinquens. Extremitas vero non ita distenta erat et languide albebat, absque nitore. Dolores paullulum tantum temperatiores erant, at movendi facultas impeditior. In pelvis regione et iliis magis in superficie dolor haerebat. Attamen dolor non tam continuus, quamquam quaternis quinisque horis vehementius exacerbescens. Omnis tactio motusque artus affecti, acerbissimos dolores revocabat, quocirca aegra uno tantum latere (sano nempe) continuo cubare debebat, quod quidem in dolorum remissionibus molestissimum. Abhinc etiam interdium sudabat et multum bibebat; ast magis superiores corporis partes

insudabant, pedes vero non planè sicci. — Ultimo morbo, quo pes idem laboraverat, unguentum Neapolitanum et Altheae c. Camphora magnum properumque levamen attulit; remedium repeti curabam. Per quatuor dies adhibebatur unguentum et quovis mane drachmae circiter tres infricabantur, dolores vero non mitigabantur et tumor augebatur, ita ut die quinto femur dimidio ambitum alterius superaret; cutis valde extensa nitebat. Unguento hoc sepositio per bidduum drachmae duae unguenti Hydrargyri cinerei puri inungebantur, etiam absque ullo effectu. Octavus nunc post ortum malum dies aderat. Sudor fere perpetuus vires maxime lassabat; impatiētia fastigium attingens tumultus hystericos varios conflagabat. Taedium fere cuiusque medicamenti difficultatem curae maxime augebat; quod taedium neque ex libidine nec pervicacia, sed, ut experimenta plura monstrabant, ex infirmitate stomachi et idiosyncrasia: cum secunda tertiave dosi cujusvis medicamenti cardialgia cum angoribus ita concitaretur, ut continuari omnino non posset. Minime vero salia resolventia perserebantur, qualicunque forma mixtionēve porrige-

rentur. Quum jam etiam Ratanhia aegrae adversaretur, virium defectus vero omnino roborantia exposularet, praesertim cum aegra nulla fere nutrimenta sumeret; loco mixturae praecedentis sequentem praescribebam: Infusum Galami aromatici et Valerianae, cum extracto Hyoscyami, spiritu Mindereri et Naphtha. Pro usu externo omnibus inunctionibus sepositis, omnem extremitatem pulvillis, herbis medicatis refertis aquae Coloniensi adspersis, involvebam. Per tres dies pulvilli adhibiti levamen afferebant; ast nunc punctio pressusque herbarum tam irritabant, ut pulvilli amoveri deberent. Impatientia et receptivitas nimia in deterius omnia mutabant; res quaeque levissimae, nullius momenti verbum, obtutus oculorum vel minima circumstantium culpa vehementissimos sanguinis aestus et angores hystericos ciere par erat, quibus dolores augebantur, vires vero frangebantur. Periculum nunc balsami cujusdam cum herbis aromaticis parati faciebam, quem olim a medico suo Petropolitano obtinuerat, cujusque vires in sanandis tumoribus diuturnis et stagnationibus ipsa laudibus efferebat; notus est sub nomine balsami majalis Petropolitani. Prae-

terlapsis quinque circiter diebus tumor detumescere et dolores paulum mitigari coeperant. Sed sudoribus, qui absque intermissione perdurabant, aegrotae vires maxime exhauriebantur; appetitu fere nullo. Cum nunc strepitum in abdomine perciperet linguaque obiecta esset, novum periculum salium resolyentium faciens praescribebam:

R. Opii puri gr. iij.
 Ol. Amygdalar. rec. ʒij.
 Magnesia sulphuric. ʒʒ
 Aqu. Meliss. vinosae ʒv
 M. S. sumatur omni bihorio cochlear cibarium.

Sed et nunc post hausta cochlearia duo seponi debebat mixtura, cum cardialgia et angores ita increverent, ut ad continuandum impelli non poterat aegra. Clysterium effectum reddebat justum, postque flatu multos expulsos strepitus alvi conquiescebat. Sensibilitas cum debilitate nimium aucta nullius medicaminis usum nisi infusi Valerianae cum Naphtha sinebat. Etiam gaudium de pedis commodiori valetudine per breve; nam morbus etiam extremitatem alteram

jam corripere incipiebat. Dolor primum apparebat cum gravitatis et rigoris sensu. Paucis diebus praeterlapsis tumor in pedis dorso perspiciebatur, digito prementi cedens impressionemque per longius tempus retinens. Brevi tempore tumor per totam extremitatem diffusus sensim sensimque oedematoso exuebatur, colorem albidum cum nitore induendo, usque ad pudendi labium ejusdem lateris ascendebat, postque dies paucos interjectos ambitu alteram extremitatem superabat. Ceterum omni modo tumor sese habebat, ut sinistri pedis. Utrique extremitati infrictionis spirituosaromaticas applicandas curabam; insuper fasciis involvebam utramque.

Jam sex post partum hebdomades elapsae erant et vires indies decrescebant. Febricula nunc magis in conspectum veniebat, characterem lentae prae se ferens. Exacerbatio ad vesperam incipiebat: jactationes incredebant, temperatura superficiei augebatur et profusus sudor post medium noctis exacerbationem finiebat; sitis nimium augebatur. Interdum horror levior exacerbationem pronuntiabat. Pulsui omnino fidere non poteram, nam inconstantissimus erat. Febris vis non

semper eadem; quo plures vehementioresque per diem animi motus, eo acerbior febris. Angores interdum ad id evehebantur, ut aegrotam omni temporis momento mortem exspectaret. Periculum faciebam Cascariillae cum Valeriana, praescribens:

R. Cortic. Cascariillae,

Radic. Valerianae aa. ℥ij.

Infund. aqu. ferv. q. s.; colaturae ℥iv. adde;

Laudan. liquid, Sydenh. gutt xx.

Trae Rhei vinos. ℥j.

Syrup. flor. Aurantior ℥j.

S. Omni bihorio cochlear cib. sum.

Nunc aegrotam sua sponte vinum appetebat, vinumque Rhenanum vetus absque molestia hauriebat. Sed, quod dolendum, omnes artis conatus, omnia medicamina effectum exspectatum denegabant. Omnia irrita fiebant, vis vitae omnino die magis magisque intermorietus nullo modo concitari poterat morbusque indies incredebatur. Animi affectiones et proprietates multae et variae, plurima ad irritum redigebant. Sic suffusionis pedum ex junipero et pulvere sumali etc. instituebantur, sed odor sensus aegrotae sopiebat, con-

tinuationem interdicens. Et aestus sanguinis frequentes, et prima oedematosa tumoris pedis dextri species causam afferebat adhibendae tincturae Digitalis purp. c. Naphta Aceti et infusi stipitum Dulcamarae: sed, ut et alia remedia, absque ullo effectu secundo; neque aestus mitigabantur, nec urinae majori in copia eliciebantur, quae per totum morbi tempus normales et immutatae, absque sedimento, et colore pallidior fluere pergebant.

Sub finem hebdomadis post partum octavae sensus gravitatis et rigiditatis etiam in extremitate dextra superiori apparebat; brevi tempore iidem dolores sese conformaverant, qui in extremitatibus inferioribus adhuc saevire pergebant, et in dorso manus post duos dies tumor exoriebatur mollis digitique prementis foveam monstrans; cutis color non mutabatur. Tumor paulatim ascendendo articulum cubiti superabat versusque humerum evanescebat; extensus et durus in anti-brachio et brachio, digito prementi non cedens, colore cretaceo, et tactio vel minima dolores augebat. Tumore apparente dolores non imminuebantur, at multo mitiores erant, ac in pedibus;

Nec etiam tumor hicce tam constans, quam extremitatum inferiorum, diebus aliis augebatur, aliis imminuebatur. Tumore accedente brachio aegrotata uti non poterat, movendi vi omnino destitutum juxta aegrotam in pulvinario jacebat — in corpore jacens gravitate sua molestum erat.

Per nonam hebdomadem et symptomata, quae aderant, incresebant, et nova accedebant. Aegrotata de dorsi tumore querebatur; explorans tumorem circa vertebrae lumbales inveniebam, cum abdominis tumore cohaerentem. Febris hectica aucta reduplicabatur, alteram matutino tempore, alteram sub vesperam reddens exacerbationem. Sudores profusi vires exhauriebant; insuper appetitus fere omnino suppressus; china nullo modo perferri poterat; largior vini usus tantum vitam debilem retinebat. Ad initium nonae hebdomadis in femoris laevi facie interna locus magnitudine manus assurgebat, quasi abscessurus. Cum emplastro Schiffhausiano obtegebatur. Eodem tempore etiam maculae rubescentes apparebant in extremitatibus affectis, quasi ex sanguine sugillato; primo striarum instar ex ictu virgarum, modo vero confluebant irregulares. Extremitates

tumidae involuebantur fasciis aqua acetoque imbutis. At maculae sese dilatabant, nec tumor imminuebatur, quamquam in crure dextro mollior tangentiue digito pastae madidae instar fieret. Nunc primum etiam phaenomenon proprii generis subveniebat: aegroti de motu rotante coxae femorisque lateris dextri queri incipiebat, quasi ex lecto ejiciatur. Quique sensus ita deludens, ut aegra utique affirmaret, pedem ex lecto lapsuram esse, quamquam attentissime observanti in uno eodemque loco quietus jaceret. Per horas nonnullas ille sensus rotationis perdurabat, tum per longius tempus evanescebat.

Ultima hebdomade, cum jam per longius tempus uno eodemque situ, in dorso cubare cogerebatur, cutis jacendo atteri incipiebat. Quo vero molestiarum copia maxime increverent, cum jam nec cubare nec sedere posset. Motus rotans augebatur aegrotamque multum vexabat, et in abdomen percutusque adscendendo propagabatur. Protuberantior in femore sinistro tumor sub emplastro recedebat. Intumescenciae extremitatum inferiorum imminuebantur totaeque pastae madentis instar digito prementi cedebant; etiam dolores mitigabantur. Ru-

brae extremitatum harum maculae, de quibus jam mentionem feci, fuscum induerant colorem, et nullo antegresso suppurationis processu conspicuo inflammationisve auctiori, totae emollescebat magnamque seri cruenti copiam emittebant. Cutis loci ex jacendo triti nigricabant. Aegroti jam nullum fere medicamentum sumebat, quia stomachus indies imbecillior redderetur. Motus rotantis sensus usque ad collum propagabatur et postremo in spasmos abibat. Spasmi incrementis frequentius redibant morsque propius accedebat. Status soporosus ad postremum insequabatur, quo durante spasmi interdum reverti videbantur. Nycthemeron circiter ita jacebat, conscientia non revertente, usque dum mors exoptata malis finem imponeret — decem ipsis hebdomadibus ex partu elapsis.

Corpus maxime erat consumptum, abdomenque, quod nunquam in morbi decursu intumuerat, maxime inflabatur. Ex pedum maculis etiam post mortem multum seri cruenti manabat.

Uti jam supra monui, sectio non permittebatur, quod maxime dolendum.

* * *

Ad extremum nonnulla compensem, liceat, quae ad casum nostrum propius spectent.

Si morbus, quo aegrotata mea ante 15 annos in puerperio primo, et ante duos in paenultimo laboraverat, phlegmatia dolens erat; insolitus sane et rarus casus, morbum istum unum hominem ter infestasse eandemque extremitatem corripuisse. Satis sine ulla dubitatione malum pedis sinistri ante 15 annos phlegmatia dolens fuit, etsi eadem fiducia affirmare non audeam, morbum ante duos annos etiam phlegmatiam istam fuisse. Affectio pedis sinistri, quam modo fusius enarravi, mera confirmataque phlegmatia dolens erat. Affectiones, quae in dextro corporis latere accedebant, accuratius forte phlegmatia dolens cum oedemate complicata nominari possint. Quae quidem complicatio facile ex diuturno morbo deduci potest, praesertim cum dextri pedis tumor postea, quoad signa externa, phlegmatiae dolentis signa plane adeptus sit, sequensque superioris dextrae extremitatis intumescencia tantum in dorso manus oedematosum retineret (a) Si aegrotam meam jam antea propius novissem et jam antecedentes ejus morbos tractas-

sem, forte accuratius de praedispositione loqui liceret; sine ulla dubitatione aegra magna ad huncce morbum proclivitate gaudebat, at nil de ea re definitius dicam. Brevibus vero liceat addere, quae ad habitum pertineant.

Corpore erat procerum, gracili, macilentoque; colore oris candide albente, cum genarum tenero mutabilique rubore; capillorum colore flavo, incremento comae promisso. Thoracis conformatio compressa angustaque, vox vero clara et canora. Morbus morbum excipiens continuum fere medicamentorum usum postulavit, ita ut corpori vita (sit venia verbo) merito artificialis nominari possit. De animi indole (Temperament) quaerenti copiosius non respondeam; nam si dictum sit, aegram conformata hysteria laborasse;

(a) Etiam Casper (commentarius de phlegmatia alba dolente, Halae, 1819) affirmat (p. 13) si extremitas altera sana post aliquot tempus intumescat, intumescenciam hydropicam plerumque sese prodere.

nihil sane attinet de animi indole quarere. Animus ceterum bene excultus fuit.

Habitandi locus vix perpendendus; nam primus morbus Petropoli accessit, posteriores ambo hic, Plescoviae. Nostra in urbe nullus dominatur endemicus morbus, locique situs tam saluber est, ut exinde maxime dependere videatur, ut, quamdiu Plescoviae moraverim, nulla morbi epidemici species grassata sit. Accuratiores loci descriptio topographiae medicae fuerit.

Si forte tempestatis ratio habenda sit; inter omnes constat, tempore auctumnali anni 1824 tempestatem asperrimam cum venti furoribus exstitisse. Ventus semper fere caurus flare continuavit exque lacu Peipus trans urbem nostram latus est. Nec vero multum temporum istorum ratio in morbos valuit; morbi catarrhales quidem et rheumatici synochalem praese ferebant indolem.

Curae, quam adhibui, rationem defensurus non sum — praesertim cum casus male caderet: Me vero plura a scriptoribus proposita remedia non adhibuisse, quisque nominatas aegrotae meae proprietates morbi que characterem complicatio-

nesque perpendens, lector me excusabit spero. Ceterum multa proposui, ad quorum usum omnino impelli non potuit aegrotia (inter quae etiam balnea et vesicatoria.)

.....

Liceat, nunc generalia quaedam ex scriptoribus colligam nec non cum casu, quem observavi, conferam.

1. Phaenomenologia. (a)

Morbus plerumque puerperas (b) infestat et saepissime quidem tertia post partum hebdomade.

(a) Morbi formam praesertim descripturus sum, quae puerperas infestat, partim, cum aegrotata mea puerpera fuerit, partim, quia morbi, homines conditionis contrariae; infestantis rationem adhuc minimam habuissent scriptores, hosque casus brevissimis verbis absolvissent. At accuratior morbi descriptio tum demum praebere poterit, cum plures casus publici juris facta sint, qui statum puerperarum polymorphum minime tangant. Per longius tempus morbum ex puerperarum functionibus perturbatis derivaverunt; sunt etiam, qui nostris temporibus morbum cum puerperii statu arctius nectant. (Vid. postea Wyer.)

(b) Etsi morbus puerperas praesertim corripit,

Postquam omnia fausta evenerant, dolor repentinus et improvisus coxam, lumbum inguenque lateris unius opprimit, dilacerans, plerumque fixus, interdum per vices nunc accedens nunc recurrens; cum febre jungi solet, quae cum symptomatibus nervosis et gastricis minoris momenti complicata per hebdomades duas, tres, quin octo producit, tunc vero speciem hecticae prae se ferens. Dolor vehementissimus mox totam extremitatem occupat, cum sensu molestissimo tensionis et stuporis, extremitas quasi paralytica est. Iste gravitatis et stuporis sensus interdum primum astitit morbi indicium. Paucis diebus interjectis, jam secundo tertiove, in inguine tumor cum tensione exoritur, qui ad pudendi labium externum

nihilominus tam rarus est, ut a medicis obstetricantibus quam plurimis, observatus non sit. White (in opere suo infra citando) ex 8000 feminis, in quibus partum solverat, quatuor tantum morbo nostro laborasse vidit. Wyer (v. infr.) inter 989 puerperas quinque hoc morbo correptas se vidisse contendit.

eiusdemque lateris propagatur, quo plerumque stricte terminatur; tum aequaliter per totam effunditur extremitatem. Accedente tumore dolor paululum mitigatur, neququam vero omnino evanescit. Intumescencia circa decimum diem, saepe etiam multo prius, ad eum gradum evehitur, ut extremitas affecta bis alterius ambitum superet; vixque nec nisi dolore vehementissimo movetur, tactio vel minima dolores conflat. Tumor laevis est et tempore postero (quo intumescencia ad summum perducta sit) splendet, colore cutis non mutato indutus aut albido (casibus certis vero cretaceo quin quasi alabastrinae colore tinctus); aequalis; situ horizontali corporis non imminuitur; initio valde expansus et elasticus, digiti que fortius impressi foveam statim explens, tempore posteriori vero fovea remanet. Postquam tumor in hocce gradu per brevius longiusve tempus (per nonnullas hebdomades) existiterat; tumor cum doloribus decrescit, et saepissime quidem eodem recedunt ordine, quo disseminabantur. Extremitas nunc mox ad integrum restituitur, aut vero debilitas et claudicatio remanent, et pes quasi paralyticus trahitur — per totos annos:

Casper (a) decursum in tria stadia dividit. Primo nimirum dolores intrant et efformantur; secundo tumor accedit et ad fastigium provehitur; tertii stadii initium morbus regrediens designat aut alias extremitates infestans.

* * *

Morbum vero a decursu modo enarrato aberrasse, saepenumero observabant.

Raro dolor in poplite vel sura incipit (b); rarius tumor tam profunde initium habet (c). Eti-

(a) Comment. p. 11 et seq.

(b) David D. Davis M. D. über die nächste Ursache der Phlegmasia dolens, in: Neue Samml. a. Abhandl. für prakt. Aerzte, 7r Bd., 1823, p. 699 — 738, ex: Medico-chirurgical Transactions Vol. XII, P. II., p. 419 — 458. — Casper l. c. casus primus. — Burns Geburtshülfe, übersetzt von Kölpin, 1821, p. 607 — 612. — Gittermann in Hufelands Journal 1820, Jan.

(c) Burns l. c. — Ferriar in-atiserl. Abh. f. pr. A. 1800, 1. 2. St., p. 172 — 174 et p. 215 — 238, über eine zeither falsch verst. Krankh. d. lymph. Gef. Ex ejus: Medical histories and reflexions Vol. III. vid. casum de Johanna Waers.

am tumor ab imo recedebat (a). Tumor non semper unum tantum pudendi labium distendit, morbo unam tantum extremitatem inferiorem occupante (b). Neutrum pudendi labium tumebat, etsi tumor alius ad abdomen propagaretur (c). Plurimis in casibus una extremitas inferior corripitur; at etiam ambae (d), simul (e) aut alter-

(a) Casper cas. 5. — Ferriar cas. idem.

(b) Casper comment. p. 12. — Hull in: physisch-med. Journal nach Bradley u. Willich, deutsch von C. G. Kühn, 1802, Tom. II, p. 89.

(c) Hull l. c. p. 89.

(d) Sankey in: Horn's Archiv 1819, 2. Band, p. 212 — 215, ex: Edinburgh medical and surgical Journal, Tom. X, pag. 401 — 402. Contendit, morbum plurimis in casibus ambo corripere crura. — Casper cas. 1. et alii plures. — White (Carl) Untersuchung der Geschwulst bei Kindbeterinnen an den untern Gliedmaßen, aus dem Englischen (1801) Wien 1802. Contendit, inter decem morbi casus semel tantum ambas extremitates inferiores corripit.

(e) Westberg in Hufel. Journ. 1817, II. St. p. 1—3.

natim. At etiam extremitates superiores affectae animadvertentur (a), quin totum corporis latus Meissner (b) occupatum observabat.

Saepius dolores caracteristici aderant, nullo tumore accedente (c).

Praeter exitum solitum, resolutionem nimirum, morbus etiam suppuratione (d) et gangrae-

(a) Vide casum a Meissner enarratum in: Journ. für Geb. H. etc. von E. v. Siebold, Tom. IV, P. I, p. 73 — 90. Quod et alii scriptores vidisse contendunt.

(b) l. c.

(c) L. J. Boër Abhandlungen und Versuche geburshülf. Inhalts, 1817, p. sq. — Jörg Weiberkrankh. 1821, p. 894 — 898. — Casper cas. 2.

(d) Simmons in: Horn's Archiv 1819, 2. Bd., p. 185 — 188, ex: Medical and Physical Journ. a Bradley et Batty, Tom. XV. — Moore in: Horn's Arch. ibid. p. 201 — 211, ex: Medical and Physical Journ. a Fothergill, Tom. XXXII. Etiam analysis chemicam instituebat, quae manifeste probabat, pus adesse. — Casper l. c. cas. 2. — Burns l. c. — Duncan Fälle von weit verbreiteter Entzündung

na (a) judicatur; nec raro tumor non mediocris, plerumque oedematosus remanet (b); morbus per annos, quin per omne vitae tempus produci potest (c). Videbant morbum per crises certas judicari: per epidermidis desquamationem (d) in extremitate affecta, per sedimentum urinae copiosius fluentis (e), per pustulas in tumore apparentes (f).

De sectionibus verba facturo perpauca afferenda erunt. Nam excepto Zinn, Davis et Casper soli sectiones instituebant.

des Zellgewebes etc. in: Neue Samml. für pr. Aerzte, 7. B. 1824, p. 555 seq. ex: Transactions of the med. chir. Soc. of Edinb. V. I. 1824, casus 23 et 24.

- (a) Burns et Boër l. l. c. c.
- (b) Scriptores plures.
- (c) Th. Chevalier med-chir. Transact, etc. of Lond. sec. edit. 1815. II. Vide Casper l. c. p. 45.
- (d) Casper cas. 3.
- (e) Scriptores plures.
- (f) Callisen System der WAKunst, übers. von Kühn, 1800, Tom. II. p. 22 seq.

Casum clli. Zinn (a) absque periculo pro phlegmatia dolente habere possumus (contra aliorum (b) opinionem). Aegra adhuc vivente per incisionem cruris aquam evacuare suscipiebat; at guttulae paucissimae tantum eliciebantur: „serum enim in tela cellulosa in gelatinae tremulae naturam abiit, omni liquidiori parte resorpta.“ Post mortem glandulae inguinales scirrhusae, tumidae, et venam cruralem circumdantes ejus lumen maxime coarctabant.

Davis (c), theoriae suae nimium favens, venas tantum describit. Inflammatas nempe inveniebat et coagulis repletas. (Vide infra ejus theoriam).

Casper (d), praeter partium genitalium affectionem, nil fere memoratu dignum detegebat. Et vasa magna sanguifera extremitatis, et nervi

-
- (a) Comment. soc. reg. scient. Goett. Tom. II, ad ann. 1752. Etiam apud White p. 83, et Hull l. c. p. 191, et alios.
 - (b) v. c. Hull,
 - (c) l. c.
 - (d) l. c. cas. 1.

omnino sana visa sunt. „Memorable tamen est, conditionem morbosam telae cellulosaе non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim usque ad musc. Psoas, iliac. int. etc. visam esse.“ Quallis vero haec morbosae affectio fuerit, non affert distinctius.

Praeterea sunt, qui (a) contendunt, post mortem serum cruentum effluxisse, quod in casu, quem enarravi, jam durante vita evacuabatur.

2. Aetiologia.

Aetiologia sane caput maxime obscurum.

A. Causae praedisponentes. Quo plures casus publici juris sunt: eo obscuriores causae haec redduntur. Quamquam puerperas saepissime infestet morbus (et praesertim quidem inter secundam et tertiam post partum septimanam (b), quo-

(a) Hull l. c. p. 107. — Salz. Zeitung 1815, I, p. 7.

(b) Quod vero tempus non constans. V. c. Wyer (vid. Horn's Arch. 1819, 2 Bd., p. 183 — 200, ex: med. and phys. Journ. a Bradley et Shearman, Tom. XXIII.) decimo post par-

circa etiam ab aliis phlegmatia alba dolens puerperarum appellatur; at morbus in omnibus conditionibus omnibusque temporibus aetatis mulierum nubilis (a) occurrit, quin etiam, etsi rarissime, in viris (b). Quamquam inter puerperas crebrius observabatur, tamen sine discrimine et juniores infestat, et aetate proveciores; robustas et debiles; aut ipsae infantibus mammas praebent, aut non; et in primo puerperio, et in sequentibus (c); et post partum immaturum (d), et

tum die; Casper (cas. 2) quarto; Moore (l. c.) secundo, et Gittermann (l. c.) statim post partum morbum incipientem viderunt.

(a) Sankey (v. Horn's Arch. 1819, 2 Bd., p. 213 — 215, ex; Edinb. med. and surg. Journ. Tom. X.) morbum excultum in duabus observabat mulieribus, partu brevi antea non edito; ambae menstruis suppressis laborabant. — Apud gravidas, vide: Casper (Horn's Arch. 1821, Tom. I, p. 136).

(b) Simmons, Sankey, Casper, Ferriar l. l. c. c, White l. c. p. 91.

(c) Quae omnia ab omnibus fere scriptoribus memorantur.

(d) Davis l. c. p. 727. — Simmons cas. 1. — Casper cas. 1. — Burns l. c. et alii.

post maturum, nobiliores atque inferiores; etsi sint, qui (a) de vi per partus difficultatem allata loquantur, tamen casuum copia demonstrat, partus antecedentes faciles normalesque editos esse. Neque morbus semel peressus semper munire valet a morbo repetituro (b); atamen rarissime eandem extremitatem iterum saepiusve infestat (c). Sunt, qui (d) humorem varicesque extremitatum inferiorum in graviditate pro praedispositione habeant; at praeter verum, ut videtur. Casper in casu suo secundo descripto, dolorem lateris dextri, qui aegram per sex ultimas graviditatis hebdomades vexaverat, pronuntiantem existimat; nisi illa observatio solitaria existeret, minime contradicerem — idem dolor etiam meam aegrotam vexabat.

(a) Ferriar v. c. l. c.

(b) Quod omnes fere scriptores contendunt.

(c) Hull l. c. p. 199.

(d) Meissner l. c. — White (l. c. p. 39) ex Hull opere locum affert: „Diejenigen, deren Glieder während der Schwangerschaft schmerzten, oder welche die Hautwassersucht während derselben hatten, sind dieser Krankheit mehr unterworfen.“

B. *Causae efficiētes auctores aut silentio praetereunt, aut fatentes, nil de hisce scire. Ubi vero certius quid statuitur, semper refrigerium in culpa erat, uti observationes virorum illustrium Davis, Wyer, Casper, Meissner, Gittermann, Steffen, Becker, Ferriar, White (*) docent.*

3. *D i a g n o s i s.*

Morbum nostrum cum paucis tantum alijs morborum formis comparemus, nimirum cum oedemate pedum, pneumatosi externa et ischiade nervosa; inflammationem telae cellulosae la-

(*) l. l. c. c. Maximi momenti mihi sequentes videntur casus a: Gittermann, Becker (vid. Hufel. Journ. 1824), White (vide apud Hull l. c. p. 175), Meissner (quo morbus per refrigerium illatum revocabatur); Burns contendit: „Erkältung in der ersten Genesungszeit kann zuverlässig einen Rückfall herbeiführen.“ Joerg morbi formam, hujusce similem, simpliciter dolores crurum rheumaticos nominat, quorum causa refrigerium. (Steffen vide in Hufel, Journ. 1820, St. VI, p. 89—109):

tius diffusam cili. Duncan nec non morbum de Barbados paucissimis tantum verbis tangam.

I. Oedema pedum. 1. Oedema pedum aquosum tumorem tantum cum morbo nostro communem habet. Cutis frigida est, haud plane obscura, tangenti sensum pastae praebet; digito prementi facile cedens foveam per longius tempus relinquit nec ullo afficitur dolore sub digito vel fortius impresso; in partibus inferioribus incipit, et stando pedibusque pendentibus augetur; ex incisione aquam emittit. Oedema pedum gravidarum utrumque pedem plerumque occupans, post partum evanescit; phlegmatia dolens vero plurimis in casibus morbus est puerperarum, plerumque unum pedem infestans. — 2. Oedema lymphaticum (a) plus commune habet cum morbo nostro. Extremitates inferiores occupare solet, pallido est colore, tensus; neque foveam digiti levius impressi monstrat, nec situ horizontali immittitur. At desunt dolores et sensibilitas in tangendo; tumor paulatim diffunditur, ab imis par-

(a) Schmalz Diagnostik; 1816, No. 245.

tibus incipiens, frigidior est ceteris corporis partibus nec unquam albet.

II. Pneumatosis externa. Fieri sane potest, ut pneumatosis in partibus coerceatur, quae a phlegmatia dolente affici solent. Sed nil cum morbo nostro commune habet, nisi tumorem extensum nec digiti impressionem accipientem. At tumor pressus crepitationem edens locum mutat. Ceterum etiam dolor deest (nisi vulneratio quaedam, v. c. serpentis morsus causam praebeat), nec difficile movetur pars affecta.

III. Ischias nervosa similitudinem majorem habet morbi nostri, quam Caspér (a) concedat. Albers (c) celeberrimus in monographia, quam de morbo sese scripturum pollicitus est, certe magnam similitudinem monstrasset. Et hic dolores cum tumore existunt. Dolorum natura in ambo-
bus morbis eadem certe sit, etiam morbi propagatio a partibus superioribus ad inferiores nec non stuporis sensus; attamen phlegmatiae dolores omnem extremitatem aequaliter occupant, ischia-

(a) Comment. p. 21.

(b) Hufel. Journ. 1817, II. St., p. 17.

dis vero strictius nervorum truncos majores comitantur. Tumor ischiadis non semper tam mediocris, ut externe sensibus apprehendi non possit. — Tissot (a) involucri nervi ischiatici ambitum tres pollices superantem invenit. Sed tumoris locus satis praefinitus est.

* * *

Duncan (b) notionem inflammationis telaë cellulosaë latius diffusae nimis dubiam constituissè videtur; nec alteram tractatus partem inspicerè mihi licuit, quae explicationes rei accuratiorè forte praebuisset.

Morbus de Barbadoes (c) endemicus huic insulae morbus esse videtur. Quamquam maximam cum morbo nostro similitudinem praebere videatur, tamen accuratiore descriptione carenti rem tetigisse sufficiat, praesertim cum morbus insulae minoris tantum endemicus esse videatur.

(a) Abhandlung über die Nerven u. ihre Krankheiten, 1781, Bd. 1, p. 79.

(b) l. c.

(c) Schmalz Diagnostik No. 124.

4. P r o g n o s i s.

Morbus in universum ad eorum classem pertinet, qui etsi molestias quam maximas afferant, raro per se vitae discrimen minuent (a). Dolores enecantes ad intolerabilem provehuntur gradum, et quanquam interdum remittentes, quoque levissimo tactu motuve revocantur; — nihilominus morbi vis per totas hebdomades perferretur et mors rarissimus mali finis (b). Sed morbi

(a) Attamen praedicendo caute circumspicere agamus. Davis affert (l. c. cas. 2, p. 712) mortem subitam, dum omnia bene evenirent, improvise reconvalescentem eripuisse; nec in corpore post mortem dissecto causam mortis sufficientem inveniebant.

(b) Weyer (l. c.): „Einigen Trost gewährt noch die Betrachtung, daß die Krankheit selten tödtlich ist, und daß, wenn auch die Kunst es nicht vermag, sie zu heilen, es dennoch fast immer der Natur gelingt, sie zu besiegen.“ — Sankey (l. c.) „So unangenehm und schmerzhaft die Krankheit auch ist, so habe ich sie doch nie tödtlich verlaufen gesehen.“ — White (l. c. p. 49) nullum vide-

secundarii saepius remanent (vide phaenomenologia morbi) etiam per totam vitam restantes. — Si pro effectu medicaminum adhuc adhibitorum commendatorumque prognosin statueres; morbus omnibus fere remediis pertinacissime repugnavit. Novissimis demum temporibus contigit, ut morbi decursus in arctius contraheretur; sique crescente copia casuum promulgatorum tandem accuratior tutiorque curandi methodus adoleverit, prognosin ea ex parte multo prosperior statuenda foret. — Natura ipsa, arte efficacior, plurimos casus sanat, at pervicacissima cursum tenere videtur.

5. Tractandi methodus.

Pauca tantum de cura in universum statui possunt. Sunt, qui (a) curam in stadiis variis

bat letalem casum, unusque a Hull memoratus alterque notissimus cilli. Zinn unici erant, quos exitum letalem habuisse comperiebat.

(a) v. c. Casper comment. p. 46.

variā esse velint, quod vero successus minime comprobasse videtur; nec multi sunt, qui hoc modo distinguant; remedia ad initium efficacia erant, quae stadiis sequentibus dicata essent, et vice versa (a). Remediorum efficacium pauca adhuc copia utentibus periculum erit methodum medendi rationalem struere.

Medicamina ad usum internūm nil fere efficiebant; mutationes urinae, quae versus morbi delapsū fiebant, diureticorum et diaphoreticorum usum inducebant; et eccoprotica, quae jam a Mauriceau (b), Mesnard (c), et Levret (d) commendabantur, forte ob tardiores alvi ejectiones, ut apud puerperas esse solent, celebrabantur.

-
- (a) Sic medici plures vesicatoria initio morbi cum successu faustissimo adhibebant; et Steffen tempore seriori unguentum Neapolitanum efficacissimum esse observabat.
- (b) *Traité des maladies des femmes grosses etc.* par F. Mauriceau, 1740, Tom. I., p. 446.
- (c) *Le guide des accoucheurs* par J. Mesnard, 1743, p. 360.
- (d) *Levret's Geburtshülfe, aus dem Franz. von Held*, 1772, 2 Th., p. 133 u. 134.

Medicamina externa efficaciora fuisse videntur, praesertim unguentum Neapolitanum et linimentum volatile, maxime vero vesicatoria, quae ab aliis pro specificis saluntur. Sane quidem casuum copia per hocce remedium sanatorum indies increscens exhortari nos videtur, ut fiduciam maximam in eo collocemus. Aliis nullum vel minorem praestabant effectum exoptatum, sed ex observationibus eorum enarratis clucet, non satis nervose egisse. (a)

Ut vero, quae modo edicebam, probem, scriptorum observationes in nota (b) afferam.

(a) v. c. Gittermann (l. c.) vesicatoria faustissimo cum successu adhibebat, et contendit (p. 85): der Oberschénkel war durch die beiden grossen Vesikatorien beinahe ganz wund, so daß ein drittes kaum daselbst noch Platz fand; — dum Meissner (l. c. p. 77) confitetur: „die Vesikatorien wurden an die äussere Seite des Fusses mit Abwechslung der Stellen 7 Tage hindurch immer von Neuem aufgelegt. — Sic etiam Moore (l. c. p. 202).

(b) Boër pro specifico commendat vesicatorium duorum digitorum transversorum latitudine,

6. Theoria morbi.

Essentia morbi varia habebatur, sedem in variis partibus collocabant; denique symptomata et tractandi methodum vario modo ad essentiam referebant.

periscelidis forma supra genu. — Wyer (l. c.) in prioribus quatuor casibus omnia fere remedia externa (exceptis vesicatoriis) adhibebat; pro usu interno Nitrum, Antimonialia, Mercurialia et Chinam propinabat; tamen absque ullo effectu. Opium dolores mitigabat et somnum ciebat. Vesicatorium vero morbum recedentem cito amovebat. — Saukey, Gittermann, Becker (l. l. c. c.) vesicatoria maxime laudant. Vide etiam Hufel. Journal 1824, St. 5. — Davis (l. c.) hirudinum et vesicatoriorum usum commendat; etiam extremitatem obligari vult, ut circulum sanguinis venosi adjuvet. Antimonialia et Digitalis nil efficiebant. — Burns (l. c.) contendit: hirudines, sinapismos et vesicatoria, splenia solutione plumbi acetici vel aceto vini tepido imbuta morbum suppressere, saltem mitigare valere; morbo autem efformato balsamos anodynos vel oleum campho-

Communi intelligentiae satis patet, morbum huncce omnibus aevis exstitisse; nihilominus medici veteres nullam ejus mentionem faciunt. — White (a) locum ex Sydenhami (b) operibus citat, quem huc pertinentem putat; quae affectio

raturum ad infringendum proponit, balneum vero propter debilitatem remansuram. Ad usum internum vero salia, chinam, acidum sulphuricum; Opium ad dolores mitigandos; ad postremum vinum. Cum morbus rheumatismi speciem praese ferat, Chinam et Calomel. — Meissner (l. c.) unguenti ex spirit. sal. ammon. caust. et oleo Lini effectum eximium laudat, Steffen vero (l. c.) unguenti Hydrarg. cin. cum ungu. Althaeae. Becker (l. c.) linimenti volat. c. ungu. Hydrarg. cin. nullum effectum observabat. — Moore (l. c.) statim morbo nascente cataplasmata adhibenda commendat (ambobus in casibus, quos observabat, suppuratio exoriebatur).

- (a) White l. c. prooem, p. viii.
 (b) Lector ipse locum legat; nec dubito, quin mecum consentiat. Vide: Thomae Sydenham opera medica, Genev. 1757, Tom. I, p. 258. Dissertatio epistolaris ad G. Cole.

vero ad hystericorum pathematum classem rejicienda, in qua excellentissimus auctor ipse affectionem describit: absque dubitatione mali species est, quod Schmalz (a) sub titulo: „Anathymiasis (oedema fugax spasticum, hyst. Anschwellung)“ describit, cujusque morbi casus observatos Crichton affert. (b)

Francogalli primi animum ad hunc morbum advertisse videntur, morbiq; causam sufficientem in turbatis puerperii functionibus ponebant.

Mauriceau (c) primus morbum describebat primusque theoriae periculum suscipiebat. Morbum nominat (ut recentiori utar voce) lochiorum metastasin. — Mesnard (d) verbis Mauriceau pauca adjiciens dicit: hac lochiorum suppressione superimpletionem vasorum sanguiferorum gigni, quam lymphae tardior cursus et coagulatio sequantur.

-
- (a) Diagnostik No. 242.
 (b) v. Bradley's u. Willich's Journal, deutsch von Kühn, 1802, 2 Bd., p. 16.
 (c) l. c.
 (d) l. c.

Quae opinio vix theoriae nomen meretur et eo efficacissime refutatur, quod rarissime lochia minori in quantitate fluant aut plane supprimantur.

Theoria altera, hujusce simillima, auctorem habet Puzos, cui Levrét (a) adnuebat. Est nimirum applicatio doctrinae celeberrimae metastasium lactearum ad hanc rem.

Ut de doctrinae hujusce aut probabilitate aut vanitate taceam (quae, etsi modificata, nostris novissimis temporibus dominatur (b); opinio haec jam rejicienda, cum plurimis in casibus lactis secretio rite procedat.

Nunc animi maxime in vasorum absorbentium dignitatem desigebantur, postquam Cruikshank et Mascagni vasorum horum anatomen acutissime perscrutavissent. Quis vero fuisset, qui primus morbi nostri sedem in hisce vasis poneret, (quantum ego scio), nullibi quisquam memoriae

(a) l. c.

(b) vide: Joerg Weiberkrankheiten, et: Carus Gynaecologie pll. locis.

prodidit. Qui sedem morbi huc collocant, inter sese dissentiunt atque in duas partes discedunt, prout aut stagnationem lymphae statuunt, aut vasorum lymphaticorum inflammationem. Quae partes invicem sese acutissime refutaverunt.

Theoria stagnationis lymphaticae prior est tempore, auctoremque habet acutissimi ingenii virum, celeberrimum G. White (a). Recentiores saepius hujusce theoriae mentionem faciunt, omnes vero imperfectius justo (nisi Casper (b) excipere velim) quare eam fusius asseram. Huic theoriae omnia complectenti etiam profecto nil deest, nisi veritas. Essentia morbi ex causis consequenter deducitur, pari modo symptomata ex essentia derivantur, omnia denique argumentis literariis gravissimis munita. Curandi methodus magis expectativa est, et cum omnibus, sicuti etiam cum illa convenit theoria. — Saepius margo superior corporum ossis pubis, qui ad formandam lineam innominatam confert, acutus est iustar ligulae osseae biblioporum (Falzbein) vel

(a) l. c.

(b) Comment. p. 27.

cultri coenatorii, et dentatus serrae instar. Uterus gravidus, si in partu dolorum (a) vi ad huncce marginem fortius pellitur, vasa lymphatica, quae supra hanc cristam in pelvis cavum demergunt, dissecentur vel discindantur necesse est, et lympham, quam continent, evacuent; quae lympham vero peritonaeum a partibus, quibus adhaeret, disjungit, doloresque dies aliquot ante tumoris accessum excitat; postremo lympham absorbetur. Lumina vasorum lymphaticorum per nycthemeron ad sex hebdomadam intervallum coalescunt; in hisce vasis lympham stagnat, usque dum viam sibi patefecerit per vasa lymphatica venam cruralem concomitantia (b). Lympham cursu impedito in-

(a) Moore (l. c.) injuste reprehendit clm. White, dicendo: se nunquam morbum partum antecedere vidisse. At White id minime contendere vult — nihilominus observatores sunt, qui morbum gravidas corripientem videbant.

(b) White in errore versatur, p. 54 affirmando: omnem membri affecti lympham per vasa lymphatica reveli, quae inter ligamentum Fallopii et os pubis intrans.

guina, pudendi labium et femoris superior pars tumore extenduntur, qui tumor usque ad pedis digitos propagatur. Dolores magna repentinaque lymphaticorum extensione excitantur; color albus lympham partes implente, quo vasa sanguifera ita comprimantur, ut neque arteriae nec venae in superficie videri possint; tensio, elasticitas, durities et splendor dependent ab extensione magna lymphaticorum, quae non facile cedunt; tumor aequabiliter diffusus a cutis innumeris vasis lymphaticis; punctio parum tantum liquoris elicit, quia minores cutis lymphaticorum surculi vulnerentur; glandulae lymphaticae interdum dolent tumentque, quia vasa eorum inferentia majorem lympham copiam advehant, quam efferentia evehere queant; febris provocatur irritamento, quod extensio magna repentinaque parietibus incitabilibus lymphaticorum infert, nec pars tumida calidior est cetero corpore. Dolores vehementes et intumescencia per paucos tantum dies perdurant, quia vasa lymphatica anastomosantia (quae nempe venam cruralem concomitantur) lympham derivent, — at plurimum demum hebdomadam intervallum via omni ex parte patefacta est. Morbus

eandem extremitatem iterum non infestat, quia idem casus eorundem vasorum lymphaticorum altera vice accidere non potest.

White casus observatorum naturae illustrium plurimos aliis morbis adnumerabat, nisi suo schemate, quod in angustissimum contraxerat, decurrissent et descripti essent. Omnes sequentes scriptores jure suo injuriam ulciscabantur; nec ullus est, qui theoriam hanc adoptaverit, etsi plures eam laudaverint; quisque omnem theoriam abhorrens, saltem edicit, se White theoriam minime comprobare posse. — Sequentia huic theoriae opponi debent. Morbus longius post partum tempus intrare solet — at etiam in graviditate — etiam feminas corripit, quae in utero non gestant, etiam viros — etiam extremitates superiores; quin imo totum dimidium corpus morbo correptum Meissner observabat. Dolor et febris adsunt, quo nec minimus dolor adhuc adparet. Cur vasa lymphatica in diversis tumoris gradibus resticularum instar palpando non investigari possunt? (a) Saepissime vasa lymphatica dissecantur et dis-

(a) quod jam Hull quaesivit.

ciuntur nulla subsequente phlegmatia dolente. Lymphatica, iniori vi illata, dirumpuntur (quod et White plurimis operis sui locis demonstrat) — tota in extremitate ergo omnia lymphatica disrupta sint necesse est. Vasa lymphatica a truncis versus ramulos hydrargyro facile implentur et homine vivente lympham viam novam sibi facile patefaciat necesse est.

Multo leviores theoriam Moore (a) in medium profert. Essentiam in stagnatione lymphae accumulatae ponit, cui inflammatio accedere potest; causae sunt frigus, et superimpletio debilitasque vasorum lymphaticorum.

Perspectu facillime est, theoriam istam ex casu suo primo rariore derivasse.

Una ex parte etiam Wyer (b) hic nominandus. In animo non habebat theoriam struere; attamen omni confidentia autumat, morbum ex effusa lympham dependere. Causas accuratius non affert — „sie mögen mit dem Zustande der Wöchnerinnen eigends zusammen hängen.“ Symptomata (prae-

(a) l. c.

(b) l. c.

ter tumorem, ex lymphâ effusa) subtilius non derivat.

Theoria inflammationis vasorum lymphaticorum nostris temporibus fere unica viget. Trye (a) et Ferriar (b) primi proposuisse videntur, quam maxima medicorum, praesertim germanicorum, pars adoptavit. Casper (c) eam stabilire et confirmare studet. De causis minus exacte disputat, dicens (d): „Magna lymphaticorum copia in extremitatibus, praecipue inferioribus; — plethora vasorum in graviditate ad secretionem exhalantium auctam ansam praebet, quae ut absorbentium functionem adaugeat, necesse est. Causa occasionali superveniente, post partum praecipue, ubi corpus tam irritabile invenitur, vasa jamjam

(a) Charles Brandon Trye an Essay on the swelling of the lower extremities etc. London, 1792. Quod opus legere non potuisse quam maxime doleo.

(b) l. c.

(c) Comment. p. 53.

(d) l. c. p. 36.

irritata facile ad inflammationem promoveri possunt.“ Quoad symptomata, affert, eminentias protuberantes in extremitatibus affectis glandulas lymphaticas tumidas esse; et pergit: „Si igitur statuamus systematis absorbentium inflammationem, in secundo statu ejusdem secretio *) oriatur necesse est: copia serosi liquoris et lymphae coagulatae in telam cellulosam circumjacentem effunditur etc. Hacce secretionem autem effecta, acumen inflammationis jam levatum est; inde illud phaenomenon descriptum: dolore paululum recedente tumorem oriri mihi facile explicatu videtur.“ (a) Phaenomena alia non interpretatur. Curandi methodus magis theoretica argumenta sequitur.

Nemo non intelliget, causas omnino non sufficere. Quare deinde theoriae huic faventes in sectionibus, quas instituendas occasio afferebat, vasa lymphatica inflammata et extensa et incrasata nondum demonstraverunt? Denique, quoad

*) ?

(a) p. 35.

symptomata, White jam dudum quaesivit, cur et hęc, uti in vasorum lymphaticorum inflammatione solet, striae purpureae et eminentiae animadverti non possint? et adhuc nullum dederunt responsum.

* * *

Etiā in tela cellulosa sedem collocabant.

A. Duncan junior (a) in tractatu: Fälle von weitverbreiteter Entzündung des Zellgewebes etc. etiam duos casus phlegmatiae dolentis affert; additamenta, quae pollicetur, forte quaedam ad denominationem defendendam allatura sint, sed tractatus partem secundam nondum inspicere potuisse doleo. — Pari modo Steffen (b) verba facit — morbum „eine eigenthümliche und idiopathische Entzündung des Zellgewebes“ esse posse; quod vero probare omittit.

* * *

Davis (c) novam de morbo nostro theoriam in medium profert, quam sectionibus institutis confirmare studet. Essentiam morbi in inflamma-

(a) l. c. (b) l. c. p. 10. (c) l. c.

tionē venarum majorum pelvis quaerit, qua lumina earum coarctentur vel plane oblitterentur. Causas partim in utero premente ponit, partim, quod phlegmatia dolens in statu irritato organorum circuli sanguinis locum habeat, vel durante praedispositione ad inflammationem vasorum majorum pelvis. Dolorem partim ex venarum inflammatione derivare, partim explicare videtur dicendo (a): „der langsame Process der Begründung eines neuen und ausgedehnten Blutumlaufs ist ein Leiden von beträchtlicher und fast gar nicht zu berechnender Größe etc.“ Tumorem deducere intermittit — forte opinionem (satis dubiam) de venarum functione resorbente pervulgatam autumat. Morbus semel tantum eandem extremitatem corripit, quod venae morbo affectae plane oblitterentur; in exceptionibus venae nonnullae morbum effugiant.

At morbus non puerperas solas infestat — easdemque tempore praesertim, quo causae, quas

(a) l. c. p. 730.

affert, effectum jam non habent. Essentiae morbi quam proponit, opponi licet, neque omne coagulatum (a) in sanguinis vasis obvium pro sequela, nec ruborem (b) vasorum superficiei internae pro inflammationis signo explorato haberi semper posse. Nec Casper in mortuae sectione invenit, quod Davis observabat. Denique medendi methodus antiphlogistica in genere est.

* * *

Sequuntur, qui et sedem et essentiam morbi obscurius interpretantur.

Hull (c) sedem morbi vagiorem definiens nullam a cutis superficiei interna usque ad periosteum partem excipit. Inflammatio essentiam sistit. Scriptum ejus legere mihi non contigit, quare lectorem benevolum ad White delego. Affert

(a) vide Kreysig's Herzkrankheiten.

(b) Hodgsen.

(c) Viri doctissimi opus: Essay on phlegmatia dolens, Lond. 1800, legere mihi non obtigit. Quae jam afferēbam de ejus sententiis, in Kühn's Journal l. c. invenies.

White (a): „Hull sagt: „Diejenigen, deren Glieder während der Schwangerschaft schmerzten, oder welche die Hautwassersucht während derselben hatten, sind dieser Krankheit mehr unterworfen.“ Et: (b) „die Pyrexie, welche vor der Krankheit hergeht, oder sie begleitet, beweiset ohne allen Zweifel die Gegenwart eines Entzündungsreizes oder einer Anlage zur Entzündung; die heftigen Schmerzen, die Steifheit, die Empfindlichkeit, die vermehrte Hitze, die Geschwulst der Theile, die vorzugsweise befallen werden, beweisen gleichfalls die Gegenwart einer topischen Entzündung. Der Sitz der Entzündung ist, wie ich glaube, in den Muskeln, dem Zellgewebe und der innern Fläche der Haut. In einigen Fällen kann sich vielleicht die Entzündung dieser Theile den größern Blutgefäßen, Nerven, Saugadern und Drüsen, die in denselben liegen, mittheilen.“

Refutationem inire non possum, cum subtilius theoriam istam non noverim. White (c) fusius eam refutavit.

(a) p. 39. (b) p. 36. (c) p. 36—51.

Simmons (a) morbo nostro nomen inflammationis imponit, inflammationem vero peculiarem nominat: absque rubore. Sedem morbi non indicat. Symptomata partim ex affecto systemate lymphatico, partim sanguiferorum vasorum derivat. Tractandi methodus, quam proponit, antiphlogistica est.

Hoc solum opponere velim, peculiarem inflammationem nondum eo statui posse, si symptoma tritum in superficie desit. Innumeris inflammationibus profundius sitis, superficies protinus in partem non vocatur.

Burns (b) verbis obscurioribus usus est. Essentia morbi in inflammatione et nervis irritatis consistit.

Joerg (c) omnem theoriam recusans, peculiare quid morbo subesse auguratur. At alienus non est, morbum huncce (quem ipse nunquam observasse confitetur) cum doloribus rheumaticis extremitatum inferiorum absque tumore, conjungere.

Liceat sub finem meam ipsius opinionem pro-

(a) l. c. (b) l. c. (c) l. c.

ponam. Recta via profiteor, morbum nostrum rheumatismum esse, loco tantum et tempore modificatum. Breviter rem complectar — de notioribus loquuturus; sin vero, quid de re sentiam, aliis non probaretur (communem theoreticorum sortem!) etiam paucissimis longior futurus sim.

Causae. Omnibus in casibus, quo causa in aperto jacebat, refrigeratio erat; ubi vero causa haec aut non inveniebatur, aut non indicabatur, facillime conjici potest. Vestes, quibus mulieres utuntur, inferiores corporis partes minime ab frigoris injuria defendere valent, praesertim vero versus graviditatis finem. In partus actu ipso refrigerationem quam facillime fieri posse, quis neget? Morbi non semper statim post causas nocentes admissas prorumpunt, quod jam confirmatur vulgi verbis: „es trägt sich auf, bis es losbricht“ — phrasis in malis rheumaticis usitata. Actio dignitate sua eximia alias tacitas reddere valet, et, ut ex pluribus unum tantum auctorem nominis celebratissimi advocem, locum ex libro clli Joerg (a) afferam, qui locus etiam op-

(a) l. c. p. 900.

time ad rem nostram facere videtur: „Erkälten sich Gebärende recht heftig, so zeigt sich öfters während des Geburtsaktes, während also der Uterus alle andere Organe überstimmt, nicht die geringste Einwirkung davon; nachdem aber die Nachgeburt den Uterus verlassen hat, beginnt der heftigste rheumatische Husten, der Brustschmerz u. s. w.“ Etiam puerperii tempore uterus agendo implicatus est, nempe vulnere suo sanando; etiam mammae vim vitalem incitatio-rem assequutae sunt. Uterus forte (quod observationes sequentium temporum probaturae sint) tertia post partum hebdomade ex parte statum pristinum quietum recuperavit et mammarum functio forte hocce tempore normam valetudinis integrioris assequuta est. „Normam valetudinis integrioris“ dixi — superiores mulierum functiones sexuales sanitatis quidem terminis desiniuntur; proxime vero Pathologiae territorio adjacere nemo non concedet.

Ceterum accuratius, ut de phaenomenologia, etiam de aetiologia morbi, disserere licebit, pluribus casibus extra puerperium observatis. Casus,

quem Ferriar (a) in viro observabat, causis praecipue provocatus mihi videtur, quae et rheumatismum movere solent; praeterea dolores rheumatici intercurrebant. Nam affert auctor: „Unmittelbar zuvor hatte der Kranke einen gallichten Anfall gehabt — Kälte und Feuchtigkeit hatten ebenfalls auf den Körper gewirkt.“ (b)

Symptomata. Dolores a multis scriptoribus rheumaticorum simillimi dicuntur. Febris rheumaticum characterem praese ferre videtur: sudores profusiores, sitis auctior, exacerbationes vespertinae. Tumoris color saepe albidus nitet, quia ex cute, morbo intacta, sanguis expellatur; digitus tumori impressus foveam non relinquit, punctio minimam liquidam copiam evacuat — ut et in aliis tumoribus rheumaticis. Crises observabantur per urinam, epidermidis desquamationem, pustulas membrum affectum obtegentes, rarius per suppurationem.

Remedia laudantur, quae etiam in rheumatismum optime valent; quin etiam obligationem

(a) l. c. (b) l. c.

extremitatis a Davis et aliis propositam, Krimer in rheumatismo mitigando maxime laudat. (a)

Etiam rheumatismum obscurum esse morbum opponentibus responderem: at rheumatismus saepissime occurrit multoque est notior phlegmatia dolente, et remediorum gaudemus successu satis certo.

7. M o r b i n o m e n .

Morbum istum nominibus variis nuncupaverunt scriptores, ut: Phlegmatiae dolentis (Hull, Sankey); Phlegmatiae albae (Simmons); Phlegmatiae albae dolentis (Casper, Moore, Steffen, Carus, Joerg); Phlegmatiae alb. dol. puerperarum (White, Meissner, Gittermanu); Phlegmasiae albae (Davis); Phlegmasiae albae dolentis (Becker); Oedematis lactei (antiquiores multi); Oedematis puerperarum (Callisen); Skelalgiae p. (Stark); Ischiadis a sparganosi (Saurvages); Infiltration lacteuse (Lévret); Enflure des jambes lacteuse (Mauricean); Dépôts lacteux (Puzos); White leg (Anglorum), weisse Schenkelgeschwulst (Germanorum).

Cum morbus noster non solum puerperarum sit, hoc additamentum rejici debet. Nec etiam nomina: Oedema lacteum, Ichias a sparganosi (b), Infiltr. lait., Enfl. d. jambes l., Dépôts l., apta sunt; nam demonstravimus, lactis secretionem momentum causale hujusce morbi non esse. Cum denique extremitates inferiores solae non infesten-

(a) Horn's Archiv, 1817, 2r Bd. p. 359 seq.

(b) „Sparganosis ex Dioscoride est lactis redundantia et inde ejus deviatio in alias partes.“ (Nosologia methodica IV, p. 224, 1797.)

tur, a morbi denominatione arceantur. — At differentia inter Phlegmasiam et Phlegmatiam mihi memoratu dignissima esse videtur.

Ambae morborum nomina ex verbo $\Phi\lambda\epsilon\gamma\mu\alpha$ derivantur. $\Phi\lambda\epsilon\gamma\mu\alpha$ ab antiquissimis (a) pro incendio, inflammatione dictum est. Hippocrates in corpore animali quatuor esse humorum genera statuit, quorum unum $\Phi\lambda\epsilon\gamma\mu\alpha$, humor nimirum pellucidus, viscidus, frigidusque; experientia nixus, humores decoctos crassiores viscidosque reddi (b). Nominibus Phlegmasiae, Phlegmones, Phlogoseos pro inflammatione uti perrexerunt; at Phlegmatiae nomine significare tumorem frigidum non inflammatum, cujus causam humorem stagnantem viscidum esse voluerunt. (c)

Etsi plurimi essentiam morbi nostri inflammationem esse autument, tamen sunt, qui hoc negent. Si vero morbi essentia in tenebris versatur, optime nomen a phaenomenis praecipuis trahetur. Intumescencia commodissime phlegmatia nominatur; „alba“ addere opus non est, nam color albus cuique phlegmatiae proprius; „dolens“ vero servari debet, nam hujusce formae symptoma constantissimum dolor semper fuerat.

(a) Homer. l. 23, 337; Herodot. 4, 187.

(b) Pari modo $\delta\alpha\delta\acute{o}\varsigma$ ex $\epsilon\psi\omega$ derivandum.

(c) Exinde: Leucophlegmatia (i. qu. hydrops anasarca lymphaticus, etiam pro oedemate pedum), Phlegmatia apostematia; porro epitheton phlegmaticus ($\Phi\lambda\epsilon\gamma\mu\alpha\tau\acute{\iota}\kappa\acute{o}\varsigma$, temperamentum phlegmaticum, etc.)

Formula vero „inflammatio alba“ plane vitanda; nam si morbus noster etiam inflammatio sit; omnes concedent, cutem inflammatione non correptam esse; quibus casibus vero cutis inflammatio accederet, nunquam rubor deerat. (a)

Hisce, quo usus sum, nomen — Phlegmatiae dolentis — defendisse mihi videor. Si vero observationes temporum posteriorum probaturae essent, dolores rheumaticos absque tumore, qui a Boër, Joerg et Burns describuntur, morbi nostri varietatem sistere, sique comparatio cum rheumatismo, quam modo instituere conatus sum, theoriae dignitatem adeptura sit; morbi nomen aptissimum forte Rheumatismus vehementissimus vel acutissimus foret.

(a) Ut de casibus aliis quam plurimis taceam, Hull exemplum (l. c. p. 104) maxime decretorium affert.